S. D. Generose & Nobilis Domine, amice & patrone colende, a discessu ex Augusta nostro comperi magnas fuisse commotas turbas Palatino evocato in consessu omnium ordinum Imperatore praesidente. Nec dum mihi licuit cognoscere, quis exitus illarum turbarum fuerit. Mihi ut de causa nihil disputem, grave videtur admodum decreta scribere sanguine & eorum flammam inijcere ac ventilatim adflare rogos, quibus exuruntur miseri & innocentes homines ob causam, quae nondum legittime cognita & diiudicata est. Tota res enim hactenus scriptionum velitationibus tantum & conflictibus agitata est. Sed vereor eventurum, quod praedixit Sonr. Causam hanc futuram causam sanguinis, eo quod oporteat mundum poenas dare Idolatriae illius literae, quae fuit in prophanatione coenae dominicae & cultu atque adoratione panis.